



Aug VI 182

Occasionalia
p. 111
vol. 22
W-182.

W-182





JUVENI

GENEROSISSIMO AC NOBILISSIMO,

DOMINO
CHRISTIANO
RUDOLPHO

a MEZRAD,
EQVITI LUSATO,

DEO DUCE

SUBLIMIORIBUS, ET, QVÆ HUNC ORDINEM PERFICIUNT
ATQVE ORNANT, STUDIIS IN ACADEMIS OPERAM DATURO,

BENE PRECATUR,

IPSUMQVE AVITA PATERNAQVE VIRTUTE

MACTE ESSE JUBET

M. SAMUEL MOLLERUS, G. F. R.

Freibergæ, Typis Kuhnianis.

a



D

Racipuum quendam hominibus in patriam, cui nati sumus, amorem ingeneravit natura; & suam, debita animi sanctitate, reputantes originem, huic ut satis faciant affectui, eandem re atque consiliis, quibus id datum est, ornant alii, alii vero, quorum nondum matura ætas est, in hanc spem adolescunt, atque ad ipsam implendam enituntur. Quod honestum ac laudabile institutum non projecta, sine actu, in otium vita, sed industria continet, ac patientia, quæ disciplinæ rectisqve præceptis sese tempestive accommodat, & virtutis accepta semina novo indies cultu auget, auctaque insigni cum fructu atque emolumento reddidit. Si vero natura sua steriles per insitionem aliquando arbores sunt frugifera; et, quæ prava sunt ingenia, per institutionem emendantur; quid illi, quæso, quibus tam bona a parentibus mens insita est, ut in prima statim segete, unde nati sint, cognoscantur, non spondeant egregii, & proferant? Veluti autem lætium quondam ac fortunatum, cum publice, tum privatim omen Romanorum fuit. Imperatoribus, si laurus vim suam obtineret vigentem, ac fixa suis radicibus staret, atque immota; ita nihil magis auspiciatum, & salutare ipsis hodie Augustis est, ac si Procerum, & eorum, in quibus, secundum ipsos, publicæ salutis arx constituta est, bene educentur filii, atque ad hoc, in quod editi sunt, fastigium feliciter asurgant. His enim rebus futurum est, uti aut nunquam periclitetur causa illa communis; aut si in discrimen adducta sit, illud propellat facile & vincat: cum quasi iidem, ac boni semper, rectores præsent, qui avitas & teneant artes, & fideliter exerceant. Neque vero hic, nisi per gradus datur ascensus; sique non mollior iste usque quaque sit; tamen & hanc ipsam levat difficultatem, quæ insidet, patriæ caritas, ac solatur iusta honoris & præmiorum expectatio. Ac optime quidem illi vivunt, quibus nullum a labore tempus vacat; quique, ut de gremio exierunt, non deliciis solvantur, sed mentis æque ac corporis nervos operis cuiusdam, cui pares sint, cura intendunt, iisque solidatis, majoribus subinde rebus sese applicant, summis tandem, maximisque idonei. Talis, *Mezradi dilectissime*, ut tu esses, illud Parentes tui oppido illustres dederunt operam, eoque impensius, quod primam te stirpem virilem sustulissent, inque tuis incrementis omnia familiæ decora, & tot clientelarum spes recumberent. Neque tu ipse non hæc recta lance tecum ponderasti: quare, cum in te, qua quidem nulla prior esse cura debet, primæ religionis ductæ essent lineæ, ad alia simul, optimis commisisse magistris, progressus es: idque cum domi facticassiles aliquandiu, quo peregrinæ paucitatem

latim advesceres aeri, ejusdem cultus gratia, Freibergam nostram libens adisti. Quod enim iis, a quibus clarissimarum civitatum mores instituti sunt, placuit: illud eminentissimus etiam Pater tuus probavit, inque Scholam te frequentiore fingendum formandumque ablegavit, ubi quos sequeris haberes, & quibus posses antevertere. Non lecus, ac par fuit, te nos accepimus, amplexi sumus, coluimus, nostrisque incitavimus cohortationibus; tu vero quantum nos, quantumque ipsam doctrinam amares, non verbis modo, sed re etiam ostendisti, eamque, obsequii & modestiae laudi intentus, tenuisti viam, in qua a viris conspici posses gravissimis, atque laudari. Atque ita per biennium hoc vita tibi sine labe, inque illis peracta est studiis, quibus quasi instrumentis usus, passu majori ad potiora lolidioraque procedas, atque in Academicis, toti terrarum orbi decantatis, sublimiores regiasque disciplinas complectaris. In umbra enim saltem haecenus verlati es, sed luci te tradent scholae istae, omnibusque rerum civilium causis & fontibus reclusis, apertisque monumentis omnibus, capeffendae olim, regendaeque reipublicae iter monstrabant expeditissimum. Cui quantum de te promittere liceat, in tua certe manu situm est, cui nec divina, nec humana desunt praesidia: poteris autem praestare, quantum volueris; utque velis multum, Majorum Avorumque stabile ac sempiternum decus, ad haec tempora sine infortunio transmissum, tibi pervadeat. Istorum enim non magis, atque ipsius Parentis summi, cujus in tantis meritis, tantisque honoribus ac fortuna ea moderatio est, ut ne quidem, quicquid virtutibus debeatur ipsius, aures pati possint, tanquam e specula tibi lumen, quod sequaris, ostendi, oculoque irretorto considerari aequum est. Quo enim cunqve te convertas, quam plurimi ejus tibi obijciuntur radii; namque illi sanguinis tui auctores, condita in Batavis, quod nomine suo nuncuparunt, clari operis arce, ad longinquos etiam lberos concesserunt; & per multa in his terris secula commorati, ipsis Augustis, Regibus, & Principibus gratissimi fuerunt, & amicissimi. Nullum enim, ex quo historiae componi ceperunt, tempus fuit, quin eo gens eminerit Mezradia, toga aequae ac armis, adversus Saracenos inprimis, Scythasque & Turcas sumtis, honestata, tam in publico, quam domi inclutissima. Christophorum tanti astimavit Henricus Primus, e Saxonibus Imperator, quem summa auctoritate Magdeburgensibus praeficeret: qua etiam fere tempestate Hugo, Francorum Dux, ac Parisiorum Comes, ad Lotharium Regem, qui ipsius consiliis usurus erat, accersitus, Sigismundo Mezradio res suas curandas reliquit: quibus ille insigni fide prudentiaque praefuit, gloriam rei bene gestae, ac praemium omne aere praestantius consecutus. Excivit, praeter eos, Deus VVilhelmos, Johannes, Henricos, Hannibalem, Nicolaum, digna im-

morta.

mortalitate nomina, a quibus patria defensa & conservata est. Exierunt ex hac familia Abrahami, quorum alter jam Friderico, primo ita dicto inter Augustos, fuit perneccellarius, alter Maximiliano & Rudolpho; qui etiam fori aulaque strepitum, quem diu satis expertus erat, pertasus, ad sacras, finis sui memor, unice meditationes, ac religionem conversus est, senii sui levatum iri molestias arbitratus, si divina scrutaretur oracula, & Pollionis, Theologi rectissimi, de vita aeterna conciones stylo facili & plano in Latinum sermonem converteret. Qui ex eo primo natus est loco, Christophoro Magdeburgum sacram Decani insulam, & Joachimus Fridericus Archiepiscopus, deinde Septemvir Brandenburgicus piissimus, felicissimus, summæ eruditionis innocentiaque laudem tribuit: Casparum vero, post hunc genitum, jure meritoque Nobilium columen dixere Nobiles, Literatorum solem Literati; quippe dubium esse possit, utrum legum ipse ac disciplinarum doctior, an republicæ, qui Imperatoribus, Regibusque fuit a consiliis, inque Lusatia Superiori Præfector, & vice Præsidis partes administravit, difficillimis istis temporibus, fuerit peritior. Atque in ea quidem provincia, ex quo Mezradii conletere, simul ipsi, cum Haugviziis, Gersdorffis, Nostiziis, Rechenbergiis, Poniceis, Schönbergiis, & aliis, quibus cum etiam ipsi affinitates junxerunt, in amplissimis muneribus collocati, atque in iisdem, quod merebantur, tantquam continua successione, confirmati sunt. Avum habuisti, *Mezradii Nobilitate*, Johannem Rudolphum, Saxonum Electoris Serenissimi Consiliarium, & Seniore, qui inter Procures pro patria curant, gravissimum; heredem ipse Parentem tuum excellentissimum nominis non modo, sed & fortunarum fecerat; qui vero minus sibi se acquisivisse videbatur, nisi etiam par meritis esset atque honoribus: ad quos etiam, dignus longe majoribus, omnium cum applausu & gratulatione evehctus, eo sua unice confert studia, unde salus esse queat omnibus. Ipsum igitur salvum incolumenque præstet servetque Deus optimus Maximus, gaudioque solido & semper mansuro compleat; te autem his instruat animi corporisque viribus, quibus, in hac intentus exempla, tot ac tanta laudum ornamenta assequi & augere, ac serie non interrupta, sine metu omnis incommodi atque intertrimenti propogare valeas. Neque est, quod hic desperes; castis hoc precibus, vitæ sanctitati, pio conatui, docilique solertia dabitur: tuasque, eo si fueris nixus, rationes consilia prudentum juvabunt, disciplina diriget, peregrinatio subleabit, ususque tandem ipse, rerum magister optimus, perficiet. Dabam Freiberge in Hermunduris, postridie Calend. Januarii, Anni 1666, quem tibi tuisque rebus
omni ex parte faustum atque felicem ominor!

Ung. VI 182

FLCN



JUVENI

GENEROSISSIMO AC NOBILISSIMO,

DOMINO
CHRISTIANO

DOLPHO

MEZRAD,

VITI LUSATO,

DEO DUCE

QUÆ HUNC ORDINEM PERFICIUNT

TUDIIS IN ACADEMIIS OPERAM DATURO,

GENE PRECATUR,

VITA PATERNAQUE VIRTUTE

FACTE ESSE JUBET.

EL MOLLERUS, G. F. R.

erga, Typis Kuhfufianis,

